SIGISMUNDUS

IMPERATOR QUOMODO ORDINEM EQUITUM TEUTONICORUM A POLONIS HOSTILITER PETITUM TEMPORE PROELII TANNENBERGENSIS TUERI ET CONSERVARE STUDUERIT.

ILLUSTRIS PHILOSOPHORUM ROSTOCHIENSIUM ORDINIS
SCITIS HANC DISSERTATIONEM

SUBJECIT

CHRISTOPHORUS THEODORUS AENOTHEUS FRITZ.

NORIMBERGAE:
TYPIS EXPRESSIT TH. HAESSLEIN.

Usque ad finem saeculi XVI. sicuti res provinciarum Germaniae orientalium quum Polonorum regno restituto tum gentis Luxemburgensis opibus magnopere auctis atque amplificatis constituebantur, ita ad medium XV. saeculum et interitus illius gentis et Polonia cum Litthuania conjuncta maximum ad res habuere momentum.

Viribus enim Polonorum ita auctis ordo Teutonicus ubi semel afflictus et profligatus est, nunquam postea recuperare pristinum vigorem atque splendorem potuit.

Maxime floruerat ordo Cruciferorum et pacis et belli artibus ex illis temporibus, quum Sigfridus de Feuchtwangen „domum principalem, quae a tempore destructionis civitatis Achonensis fuerat apud Venetias, transtulit ad castrum Mergenburg in Prussiam.“

Omnium autem optime sine dubio meritus est de terra populoque Prussorum Winricus de Knipprode, cujus aetas jure appellata est aurea. Quo regnante commercium, agricultura, litterae florebant, splendidissimae ex infidelibus reportatae sunt victoriae.

Nihilosecius negari non potest jam tunc fundamentum ordinis labefactari esse coeptum: namque qui fuerat sempiterni caussa certaminis adversus infideles institutus, eundem corruere necesse fuit occasione bellandi sublata. Anno autem millesimo trecentesimo octogesimo sexto Jagal, Litthuaniae princeps, Hedwigam, Polonorum reginam, in matrimonium ducturus pollicitus est cum toto populo se in confessionem ecclesiae christianae esse venturum. Quo facto domini Cruciferi desistere coeperunt incursionibus atque rapinis, quibus quotannis agros Litthuanios vastaverant. Praeterea morum simplicitate, qua antea floruerant equites, jam pridem exstincta luxuria magna ceperat incrementa ac mollities, frustra obnitentibus magistris, qui gliscentem tabem reprimere sunt conati. Accessit, quod equites, qui ex omnibus Germaniae partibus in Prussiam commigrabant, incolis terrae erant alieni neque affinitatem cum iis jungebant.

Quamobrem fieri non potuit, quin domini paullatim in civium invidiam inciderent crebraeque seditiones moverentur. Quae quum ita essent, tamen res ordinis stabat quamvis urgentibus jam fatis imperii, sed in extremum periculum est adducta, quum bella ista funesta conflarentur contra Polonos et Litthuanos. Quorum regna Jagal sive Wladislaus — rex enim Polonorum solemni ritu constitutus corona sibi imposita nomen mutaverat — conjunxerat, ut ordini, qui antea unam gentem Litthuanorum non potuerat subicere, inde ab illo tempore cum duobus fortissimis adversa-

riis certamen esset de imperio. Nec diu belli caussa defuit. Polonus enim moleste tulit, quod Wladislaus, dux Oppuliensis, cui bellum intulerat, oppidum Dobrinense ordini dederat pignori. Cujus igitur praecipue interfuit, ne discordiae inter Poloniam et Witoldum, cui Wladislaus rex Litthuaniam principatum concesserat, intercederent. Litthuanus autem, ut erat callidissimus quid rei ageretur perspicatus cum Wladislao foedus iniit. Nec multo post bellum exarsit inter ordinem et Witoldum, quum ille Samaytia potiri conaretur, Witoldus Samaytas contra ordinem rebellantes adjuvaret. Ordo igitur prosperum eventum, si sibi res esset cum junctis viribus Polonorum et Litthuanorum, desperans, auxilium ab finitimis regibus petiit. Nec minuit invidiam odiumque Polonorum occupata ab ordine Marchia Nova. Sed opera imprimis Konradi de Jungingen, generalis magistri, lis dirimitur ea lege, ut Wladislaus terram Dobrinensem pro LM florenorum pignori olim datam redimeret, Witoldus Samaytas desereret, quos ordo armis in dicionem potestatemque suam redegerat. Brevi autem rixa orta ronovari coepta propter Marchiam Novam, quam Sigismundus, Hungariae rex, elector Brandenburgensis, ordini pro pecunia numerata pignori dederat, a Polonorum rege non satis grandi pecunia oblata. Konrado de Jungingen vero mortuo res ad bellum sunt deductae. Qui princeps pacis amantissimus quamquam dominos commendatores moribundus admonuerat, ne Ulricum fratrem, hominem in iram praecipitem ac belli cupidum, eligerent successo-

rem, tamen Ulricus creatus est magister. Omnes enim equites ardore flagrabant Polonos superbientes una cum omnibus infidelibus fugandi. Neque inscius fuit Polonus, quantum periculi sibi Ulrico creato immineret.

Enixe ordo bellum parat: armorum, frumenti, omnium, quae opus erant, ingens copia cumulatur, castella prope fines sita muniuntur.

Magister finitimos principes partim blanditiis partim muneribus sibi conciliare studet; imprimis cum Pommeraniae ducibus amicitiam jungit; veteris discordiae, quae erat inter ipsum et Danorum regem, finem facit, Gothlandiam, propter quam insulam Erico regi adversatus fuerat, Danis restituens.

Ita placatis Danorum animis bellum cum Litthuanis incipit. Ac primum quidem magister viginti naves frumento onustas intercepit, quas Wladislaus Witoldo miserat, ut famem, qua Litthuani atque Samaytae urgebantur, sublevaret; deinde quum Witoldus Samaytas ad rebellionem sollicitasset et Wladislaus socium sibi esse illum professus esset, in Poloniam irrumpit, arcem Dobrinensem incendio delet, omnia longe lateque devastat. Wladislaus cum exercitu ei obvius fit. Sed opera Wenzeslai, Bohemiae regis, bello parando acerrime intenti, induciae sunt factae anni 1409 usque ad Joannis Baptistae festum utrique parti acceptae.

Prae ceteris principibus Sigismundi regis gratiam ordo sibi conciliare studuit. Hungariae regis maxime intererat, ne castella Marchiae Novae, quae Jagal-Wladislaus postulabat, amitterentur. Ob eamque caus-

sam Ulricus magister tanta usus est constantia in Polonos, quorum rex interea quibuscunque potuit rebus Germaniae principes ab ordine avertebat copiasque innumerabiles Ruthenorum et Tartarorum stipendio coegit. Ac brevi interjecto spatio factum inter Sigismundum atque ordinem foedus est (XX decbr. 1409), quo rex se ordinem adversus omnes infideles, praecipue Litthuanos, Ruthenos, Tartaro juturum neque minus operam daturum, ut fines ordinis bello in Polonos gerendo integri manerent, promisit.

Id foedus Sigismundum iniise apparet maxime sua ipsius commoda respicientem; magnam enim vim auri accepisse ab ordine auctor est scriptor quidam rerum Polonicarum. Quae quin vera sint relata, quis est, qui dubitet, quum ab ordine pecuniam esse numeratam constat? Itemque Eberhardus Windecke memoriae prodit XL M florenornm accepisse regem, quod verum esse nescio quo jure recentioris aetatis quidam historiographus neget.

Erat profecto, cur Sigismundus res Polonorum, quas in dies magis florere vidit, minui vellet. Opibus enim equitum Teutonicorum attenuatis atque imminutis aut plane confectis timuit, ne in summo discrimine versaretur orientalis Germania potentissimi regis finibus proxima. —

Quo igitur majus ordini praesidium esset, Wenzeslaum fratrem adduxit, ut in lite dijudicanda ab ordinis partibus staret. Bohemiae rex initio Februarii anni 1410 Pragae has proposuit condiciones, ut Poloni terram

Dobrinensem, ordo Samaytas, Drysen Sigismundus recuperaret, captivi sine pretio dimitterentur, aeterna illa quae dicebatur pax inter Kasimirum Magnum atque ordinem, denuo confirmaretur.

Sed tantum aberat, ut Polonorum rex illo arbitrio acquiesceret, ut quamvis Sigismundus ordini non defuturum se professus esset, armis ea consecuturum, quae sua essent, diceret.

Tunc etiam ordo foedus cum Sigismundo XL milibus florenorum pensis renovat, quo ei auxilium adversus quoslibet hostes promittitur et possessio Marchiae Novae redimendi jure reservato regibus Hungariae et Bohemiae et marchioni Moraviae Jodoco.

Sigismundus autem quum spem non abjecisset fieri posse, ut pax servaretur, Wladislaum ad colloquium invitavit neque tamen quidquam impetravit. Postulante enim Witoldo, ut Hungariae rex quietus se domi teneret et neutri succurreret, hanc ille condicionem repudiavit: esse sese vicarium imperii Romani neque pati posse, ut sublato ordine Teutonico universae Germaniae vires imminuerentur. Verba fides secuta. Ordinem deserere noluit, quamvis magnopere ejus interesset, illo tempore Wladislaum sibi conciliare. Societatem enim regis Polonorum quaesivit, quo facilius hostes ab Hungariae finibus depelleret, et amicitiam, qua auctus et adjutus libentius Germanorum Imperator acciperetur. Idcirco per legatos magistrum ordinis commovere tentabat, ut Samaytia Polonis concessa bello desisteret. Quod minime illi placuit; pacem habere non vult nisi omnibus

in rebus ordini esset satisfactum. Neque aliter a Polono responsum legatis. Manifestum erat utramque partem esse paratam ad bellum et decernendi armis cupidissimam. Qua re perspecta cum Sigismundi legati ultimam condicionem hanc proposuissent, ut rex bellum indiceret Wladislao numerata ea pecunia, quam quadraginta milium florenorum promisissent equites, dimidia pars illico soluta, quae erat reliqua, quam brevi penderent. Et statim Sigismundus, rex Hungariae et vicarius imperii Romani, litteris Buda datis regi Polono bellum indicit. Interea autem Wladislaus in Prussiam irruperat, quum XII. iul. per legatos Sigismundi certior fit Hungariae regem ipsi hostem exstitisse.

Polonus magno jam pridem congregato exercitu, stipendiariis multis de Bohemia, Moravia, aliis terris coactis, Witoldo omnibus copiis suis, imperatore etiam Tartarorum cum populo innumerabili ei assistentibus ad bellum firmatus ac munitus fuit optime. Censuit igitur decertandum prius quam nuntius Sigismundi exercitum ordini succurrere percrebuisset in exercitu suo. Castra posuit non longe a civitate Gilgenburg, prope campum, qui dicitur Vierzighuben, quum Ulricus, magister ordinis, copias prope Lauterburg instructas haberet. Ibique inter Gilgenburg et Hohenstein et Osterode vicos Idibus Juliis atrox funestumque illud proelium est commissum, quo Ulrico magistro, ducentis dominis, permultis nobilibus, XL milibus de vulgo caesis fractae vires ordinis sunt. Unde celeriter Wladislaus cum toto exercitu processit ad Marioburgum, ordinis caput, quod ab Henrico

de Plauen, fortissimo illo commendatore, summa constantia defensum est.

Sed revertamur ad Sigismundum. Is bello in Polonos statuto atque indicto summa opera atque celeritate exercitum in Hungaria coegerat et in Poloniam jusserat irrumpere. Qua maxime irruptione non dubito, quin Wladislaus ab obsesso Prussiae capite revocatus sit. Quamquam inferior Stiboris exercitus Polonis accurrentibus cedebat, tamen Sigismundus, id quod voluerat, consecutus est: Henricus de Plauen enim brevi omnes civitates amissas recuperat Polonosque e finibus ordinis eicit. Interea Sigismundus litteris Buda XX august. datis omnes Germaniae principes certiores fecerat se rixas inter ordinem et Polonos compositurum neque prosterni illum esse passurum, qua in re velle se ipsum ut principes atque civitates juvarent. Et venerunt auxilio Henrico de Plauen, qui magister generalis electus erat, cum permulti e tota Germania mercenarii tum Marchiae Novae praefectus, ut Poloni cum summa ipsorum infamia ne minimum quidem emolumentum possent obtinere. Nihilominus autem fieri non potuit, ut diutius ordo in bello perseveraret prae summa omnium rerum inopia. Quumque etiam Witoldus Litthuanus pacem facere cuperet, sine magnis difficultatibus anno MCCCCXI kal. Febr. pax illa Thorunensis facta est, qua paucis levioribus condicionibus praetermissis ordo Samaytas Witoldo et Wladislao, quoad viverent, reddidit et centum milibus sexagenarum grossorum captivos redemit. Postremo fuit statutum Sigismundo licere,

si vellet, in partem hujus pacis venire. Quem quum fugeret bellum esse finitum, litteris Buda XXI Jan. datis magistrum certiorem fecit, quod Jodoco, Brandenburgensi electore, mortuo Marchia sibi contigisset, inde ab hoc tempore ordinem melius quam antea juturum se esse; fidere se igitur ordinem pacem non facturum.

Poenituit magistrum praematurae pacis, qua reges Hungariae et Bohemiae vehementer se offendisse haud ignoravit et denuo, praesertim cum Wladislaus nequaquam secundum pacis condiciones ageret, paravit bellum. Neque injuria irascebatur Sigismundus, quod magister inscio invitoque ipso pacem fecerat; quum autem ille per legatos deprecatus auxilium peteret, regem Polonorum litteris monuit, ut pacem observaret: nunquam passurum se ordinis perniciem ejusque incommoda pari vice esse redditurum. Etiam antea rex Friderico, Marchiae praefecto, scripserat, ut Wenzeslao persuaderet, ne ex regno ejus auxilia Polonus sumeret, quibus litteris Sigismundum quacunque potuit ratione prospexisse ordini manifestum est. Scripsit enim: Wann diner liebe wol wissentlich ist, wie gar swerliche der ersame orden unsrer lieben Frauwen des tutschen husze von dem konig von Polan und sinen helfern in kurczen zyten uberzogen und beschedigt, und wie gar herteclichen demselben orden in den Bruschysen landen, in gruntlichen zu virderbin und zu vertylgen, angeseczt wurden, und wie viel christenliches plutes in denselben landen kurczlichen virgoszen ist, das wir alles klegelichen schreiben, und wie uff daz leczt zwischen dem vorge-

nanten orden und dem obgenanten von Polan und ir beiden lande und lute ein richtunge virbriefft und vermagt ist: darumb beducht uns nit not zu verschrieben. Wann uns aber nu vorbracht ist, daz dieselbe richtunge also grobelich uberfaren sy und werde, daz wir besorgen, daz aber nu kriege nicht allein zwischen dem vorgenanten orden und dem von Polan, sunder uns, auch dem riche und andern christerner landen erweckit werde, wan soliche kriege uns und daz riche und villeicht die ganczen christenheit anruren: darumb wollen wir dir mit diner und ander unser und des riches fürsten und getruwen rat und helfe gern untersteen, als werre wir ummer mochten. Und laszen darumb diu liebe wiszen, daz der marschalk des vorgenanten ordens zu uns kommen ist und hat uns clegelichen vorbracht, wie daz die vorgenante richtunge an dem vorgenanten orden gar maniklichen uberfarn sy und werde, und daz ir der von Polan nicht nachgee. Deinde: wann nu derselbe orden zu dem Romischen riche, dem wir nu von gotlicher schickunge vurgeseczit sin, gehorit und ein fester schilt der christenheit an dem ort vil iar gewesen ist, und ob got wil furbacz sin sol: darumb geburte uns y von des riches und rechtes und auch der ganczen christenheit wegin darzu zu tun, als din liebe selbir wol virsteet, daz der vorgenant orden icht me veruneint werde. Und darumb wollen wir unser dreffeliche botschaft zu dem von Polan unverzogenlichen thun und noch arbeiten und virsuchen laszen, als wir beste mogen, daz der krieg unterstanden werde, und daz der orden und er

by der vorgenanten richtunge plieben. Mochte aber soliche krieg nicht unterstanden werden, so wisse diu liebe, daz uns vorkommen ist und alletegelich vurkumpt, daz etlichen ritter und knecht usz dem konigreiche von Beheim und andern unsers lieben bruders landen dem von Polan zu dienst oder zu hilffe rieten, daz sunder zwifel unszer gemüt also viel me bekummet und swerlichen betrübt, so vil daz grobelichen widder die heilgen kirchen, widder christenen glauben, die gancze christenheit, widder uns, daz riche und sunderlichen widder den vorgenanten unsern lieben bruder ist. — Und wir getruwen y daz unser lieber bruder ichtes von den wysse und daz sie daz ane siner willen und urlaub thun. Vnd begerne von diner liebe mit ganczem ernste und flysse, daz du mit im und sinen rethen, und wo sich daz geburet, als gruntlichen und ernstlichen reden und in und sie, als hoch ummer kanest, bitten und ermanen wollest, daz sie ir gemüte uffwecken und diese vorgeschrieben gots und der christenheit sache und dinge, die darzu gehorent, darnach gar vil zu schreiben were, gutlichen zu herczen nemen und betrachten, daz eygentlich und bestlichen bestalt werde, daz nyman, wer der sy, usz dem vorgenanten konigreich zu Beheim, usz Merern, usz Slesien und andern unsers lieben bruders landen zu dem von Polan oder von sinen helffern widder den orden riyt, und were imand gerieden daz der widerrufft werde; und were daz iman unserm lieben bruder darinne ungehorsame were, daz der darumb an lib und an gut gestrafft werd. Und, lieber Oheim,

wollest dir als ernstlichen laszen sin als wir dir gancz getruwen, als du wol virsteest, daz daz ein grosz nodturfft ist, wir den vorgenanten orden y nit gelaszen mogen. Auch, lieber oheim, begern wir mit ganczem ernste, daz du mit unserm lieben bruder redden und im fliszeliche biden wolles, daz dem vorgenannten orden die baley, die er zu Beheim hat, widergebin und folgen lasze durch unsern willen, wan der orden leider vil gelitten hat, unsers bruders gnaden und hilffe wol bedarff. —

Quibus litteris perspicuum esse censeo Sigismundum, utut alii judicaverunt, non sola auri cupiditate commotum ordini adfuisse, sed salutem ejus maxime regi fuisse cordi.

Sed jam finem faciamas. Quomodo Sigismundus etiam insequenti tempore non desierit ordinem adjuvare, alio loco explicabimus. —